

Bibliothek clinic
J. C. Reil.



DE
VI SVCTIONIS
IN CORPORE HVMANO
COMMENTATIO

PRAEMISSA

ORATIONI SOLEMNI
QVA RECITANDA

PROFESSORIS ANATOMIAE ET BOTANICES
ORDINARIII

M V N V S

D. XXV. M. IVLII A. CIOIOCCCLXXXII.



AVSPICABITVR

IOANNES GOTTFRIED LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR ANATOMIAE ET
BOTANICES PROFESSOR ORDIN. DESIGNATVS SOCIETAT.

OECON. ELECT. SAX. SODALIS.

1902: 6H6 522

VITEBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

DE
VI SVCTIOMIS
IN CORPORE HVMANO
COMMENTATIO
PRAEFATA
ORATIONI SOLEMNI
QVA RECITANDA
PROFESSORIS ANATOMIAE ET BOTANICAE



IOHANNES GOTTFRIED LEONHARDI

VITTEBERGAE
PUBLI-
CITERO






Quotiescunq̄ de mira ista corporis humani totius singularumque ipsius partium fabrica et contextione ex vasis, ad summam sensim capacitatis tenuitatem decrep̄sentibus, et tela cellulosa, non modo vasculorum minutissimorum glomerulos vestiente et reuinciente, sed ipsam partium quarumvis compagem et substantiam constituyente et formante meditatus sum, semper semet animo meo, grauissimorum, quae ab aliter censentibus adferri solent, argumentorum pondera subinde trutinanti, persuasit tamen probauitque, capillarium tubulorum et spongiae in hac fabrica accuratissime expressam imaginem, virtutem quoque et efficaciam succricem vniuerso corpori et singulis eius partibus vindicare et asserere. Scilicet adeo connexa haec et copulata reperiuntur, vt, tubulari et porosa fabrica concessa, concedi quoque vim et efficaciam succricem oporteat. Enimvero omnis attractio physica,

A

cuius



cuius forma quaedam suction est, a vi particulis cuiusvis materiei insitis pendet, qua proxime contiguæ materiei moleculas, ad mutuum secessum per consistentiæ oportunitatem plus minus promptas, et ad adhaesionem, per grauitatis, figuræ, affinitatisque conditionem idoneas, sibimet ipsis adiungere et quantum fieri potest, vnire nituntur. Quæ quidem attractio, quum semet nusquam prodat euidentius, quam in corporibus porosiss, quorum pori et tubuli, utrinque patentes, ex plurimis conflantur iuxta se inuicem positis particulis, quæ, ad saturitatem vsque fluidi contigui moleculis vnitæ, reliquas eiusdem fluidi moleculas, ex visciditate, qua quodlibet fluidum pollet, in exigua mole et arctiori spatio grauitatem exsuperante, cum iis, quæ tubuli parietem imbuunt, adhuc tum coherentes sustinent, atque adeo proximo poro, proximæque tubuli parti, simili trahendi virtute pollenti, attrahendas offerunt, peculiari coepit suctionis vocabulo insigniri. Quemadmodum vero ab hac sugendi facultate, corporibus tum struictis, tum mixtis vbertim concessa, omne omnino, quod solidis cum fluidis intercedere obseruamus commercium, in humectatione, solutione, deliquescentia, corrosione aliisque bene multis effectis positum, non forte tantum iuuari et sustineri, quinimmo potius absolui vnice et perfici solet, ita quoque ad corporis humani actiones et mutationes quasuis producendas eandem illam vim succri-cem mirifica cum efficacia et benefica assiduitate concurrere, in hac scribendi oportunitate ita quidem asseram, vt expensis,

vbi

vbi opus est, aliter statuentium rationibus, euidencia suctionis commoda, in motu humorum per vasa quaecunque corporisque conseruatione et nutritione perficienda, pro virium mearum modulo illustrata proponam.

Ergo primum, quod viuimus, si quidem corporum vita in motu humorum per vasa eo consistit, quo conseruantur, id manifesto debemus suctioni. Vt enim nihil dicam de eo vitae genere, quod primis fetus, nondum impraegnati, staminibus inest, quae, vti idoneis rationibus commoti plerique phyfiologorum statuunt, eodem modo intra ouuli materni capsulam iam tum delineata haerent, quo plantulae seminales futurorumque vegetabilium rudimenta intra feminum nucleos, radicum bulbos ramorumque gemmas absoluta reperiuntur, et quae, antequam cordis exigui punctulum, impraegnantis, vt videtur, spermatis efficacia irritatum, saliret, veluti vegetabilia, cordis beneficio destituta, sola suctione, motum quendam fluidi per solidum perficiente, conseruari potuerunt; in fetus impraegnati hominisque nati vita suctionis beneficia haud quaquam obscura sunt. Scilicet quoscunque succos cordis ictus arteriarumque oscillatio circumagit, eos in embryone subtilissima vnus venae vmbilicalis ramulorum, in superficie placentae, vtero aduersa, patentium ostiola; in homine vero nato venarum lactearum serosarumque, intra primarum viarum officinam libere hiantium orificia suxerunt; sique forte ex aere ipso accedit ad flumen humorum intra vasa circumeuntium quicquam,



quod vel neruôs pascat, vel humores condiat, vel quacun-
 dem ratione occultum euadat vitae pabulum, id vero omne
 non alia potest ratione huic flumini immisceri, nisi per bibu-
 los cutis internaëque pulmonalium vesicularum superficiei po-
 ros absorptum.

Quemadmodum vero vnice per suctionem iis succis po-
 timur, qui intra vasa circumaguntur, ita quoque circuitus eo-
 rum per suctionem adiuuatur mirifice. Procedunt vndiquaque
 ex maioribus arteriis innumerae minores, quarum vltimae adeo
 tenues sunt, vt vnicum tantum sanguinis globulum, sero suo
 innatantem, quinimmo ne hunc quidem admittant, verum
 eodem, veluti crassiore, repudiato, solos succos serosos tenui-
 oresque recipiant. Simili quoque ratione cum arteriis istis mi-
 nutulis aequae minutulae continuantur venulae. Quum vero
 ad capillaria haec vascula cordis maiorumque truncorum con-
 tinuo labore adigantur humores, qui, nisi, vt in febrium gra-
 uiorum inflammationumque vigente paroxysmo fit, vehemen-
 tiori impetu appulsi, rapide praeterlabantur, ad minima illa
 vascula placide moti adhaerent, eo melius quidem angustissimos
 illos tubulos subeunt, quò maiori cum efficacia per capillarem
 ipsorum tenuitatem ad introitum inuitantur et quo magis su-
 perat tot minimorum vasculorum simul sumtorum et materies
 et superficies maiorum vasorum materiem superficiemque om-
 nem. Quamuis enim sint, qui negent, in istis minoribus va-
 sculis attractionem aliquam locum habere posse, quoniam tu-
 buli



buli capillares pleni non fugant: omnis tamen ista reprehensio inanis est, quum arteriolae quaelibet, quae liberis ostioliis alicubi patent, replentis succi partem semper deponant et exhalent, quaecunque vero cum venulis cohaerent, ab iisdem itidem exsugantur, atque adeo vtraeque conuenienti modo et proportione depleantur. Quid quod ipsae arteriolarum harum porosiores tunicae videantur aliquam feri contenti partem abligurire et imbibere, atque adeo plenitudine tubuli, etiam hac ratione quodam modo imminuta, imminuere quoque suctionis obstacula. Sunt quoque, qui timeant, ne sumta minimarum arteriolarum sicatrice virtute, sumatur quicquam, quod sanguinis humorumque circuitui impedimento potius, quam adiumento foret; quandoquidem tot minimorum vasorum materies maiorum vasorum materiem multis modis exsuperans retractura foret adeo ex maioribus venis congesturaque in minimas arterias venulasque capillares sanguinem omnem sic, vt qui in maioribus vasis agitur, superfit denique nullus. Et esset profecto, cur tale quid timeremus, si praeter sictricem illam tenuissimorum vasculorum potentiam nulla alia essent disposita circulationis sanguinis per maiora vasa conseruandae praesidia quasi atque munimenta. Sed primo non patitur iusto diuturniores, huicque nimiae absorptioni fauentes remoras iuxta minorum vasorum ostiola neetere sanguinem cordis arteriarumque maiorum irrequieta succussio, neque retrahi ex venis maioribus sinunt contentam in istis sanguinis vndam, tum

illa ipsa vis cordis et arteriarum, tum valvularum quoque, ubi adsunt, sat fida illa custodia. In ipsis adeo illis febribus malignis, in quibus languidior humorum motus minoribus istis vasculis eo usque indulget, ut sanguinem imbibant copiosorem atque adeo excernant semper tamen, nisi vas quoddam maius erosum et disruptum sit, sanguisue in tenuissimum liquamen computruerit, exigua tantum eius copia vel per varia corporis colatoria excernitur, vel petechialium ecchymosum forma sub cuticula exsudatur. Scilicet cruor sanguinisue pars rubra, tum ex indole sua, tum ex figura globulari male omnino ad vasa adhaeret, atque insuper, vel languente, vel deficiente cordis truncorumque maiorum opera, minus iam calens, lentescit, quinimmo globulorum tum singulorum, tum per lentorem in grumulos coeuntium mole sibimet ipsi viam facillime obturat. Neque in vniuersum statui posse videtur, ut cruorem sugant arteriolae capillares per se, utpote nequaquam ad ipsa adhaerentem et suo modo in particulis suis solidum, sed potius haecenus tantum attrahunt, quatenus serum, ipsis amicus eiusdemque vehiculum ad se accersunt. Quanta denique valvularum vis sit in sanguine, intra venas maiores retinendo, vel ex cadauerum lustratione constat, quorum cruorem fere omnem venae comprehendunt, neque nisi putredine colliquatum ad minora vasa resfluere patiuntur. Quae quum ita sint, apparet nihil proficere obiectiones aduersariorum, qui in iuuando sanguinis circuitu arteriolarum capillarum suctionis partes esse

volunt nullas, eas tamen profecto vsque magnas tum in singulis arteriis, quatenus, parte humorum e maioribus arteriis in istas minores attracta, progressus reliqui succi sanguisque ad venas expeditur, nouaeque vndae a corde exactae spatium paratur, in quod diffundere semet possit, tum vero quoque in mirabilibus istis retibus arteriosis, in quibus repetitis anastomosibus copulata vasa minora, nato forte insuperabili quodam motus obstaculo, e turgido vasculo haerentem succum benefice imbibunt, vltiusque promouent.

Veluti autem in arteriis velificatur circuitui sanguinis fectio, ita multo magis iuuat eadem succorum motum intra venas. Ac primum quidem de chyli itinere per vasa lactea glandulasque mesaraicas dicam, quod in viuo quidem animali expediri credas facile tum intestinorum motu peristaltico, tum vicinarum mesenterii arteriarum oscillationibus, in cadauere vero, in quo vtrumque hocce motus praesidium sublatum est, neque tamen chyli progressus interceptus reperitur, a neutro promoueri posse, aequae facile perspicias. Quoties, quaeeso, frustratus est vasa lactea chylo turgentia in cane, a lactis pastu recens iugulato et adhuc calente videndi spem zootomorum etiam a morte superstes per sua vasa chyli motus? et quoties accidit, vt sub anatomici, turgentium lacteorum conspectu laetantis oculis haud ita diu durabile spectaculum euanesceret, intestinis tamen ab omni motu peristaltico, arteriis ab oscillatione cuncta, diaphragmate denique et musculis abdominalibus


a toto



a toto respirationis negotio prorsus et iamdudum feriantibus. Quae quum secum reputarent viri graues eoque inprimis nomine merito celebres, quod a fingendis corporis partium fabricis verecundi alias abstinerent, seduci tamen semet passii sunt adeo, vt tacitam quandam admitterent vasorum lacteorum contractionem, ponerentque inesse ipsorum parietibus virtutem irritabilem, siue, quod idem est, texturam musculosam. Quemadmodum vero in vniuersum, quamdiu in ipsa partium corporis natura reperiuntur adhuc idonea effectus cuiusdam explicandi praesidia, ad commentitias fabricas confugiendi nulla necessitas vrget: ita neque ad chyli progressum per lactea vasa explicandum fictitiis opus est rationibus, quandoquidem interna horum vasorum constructio pro sua dignitate perpensa quarumvis aliarum meditationum perfecta facit otia.

Notissimum est, incipere vasa laudata in villis intestinorum ab ampullula quadam, foramine exiguo intestini tubum versus perforata atque contextu intus spongioso repleta; inde vero continuari eo quidem modo, vt mox, vbi obliquo per tunicas ventriculi itinere e musculosa emerferint, per omnem canalis reliquam longitudinem valvulis creberrimis, geminis, semilunaribus et ita sibi oppositis donentur, vt binae quaeuis expansae canalis lumen fere occultant prorsus atque adeo exigua modo intercapedine seu rimula inter se relicta accurate satis inuicem conuicueant. Veluti igitur contextus cellulosus, qui lacteorum ampullulis inest, suctionis per orificia ipsorum praestan-


praestandae egregium, et retinendi promouendique chyli efficacissimum adminiculum est: ita quoque vasis lactei cuiuslibet tubus, tot valuularum, cum intercapedine quadam angustissima conniuentium, coniugationibus intercisis, nonne vero continuam offert tubulorum capillarium spongiosive operis seriem congeriemque ampullularum? Siquidem binis quibusvis valuularum coniugationibus intercepta vasis lactei portiuncula verissimam praeferat ampullulae speciem. Quarum quidem ampullularum non aliud esse potest officium, quam vt ex proxima qualibet intestino viciniore per valuularum commissurae rimulam, veluti per tubum quendam capillarem, attractum recipiant chylum, eundemque in cauo, quod inter valuularum expansa vela reperitur, retentum ampullulae proximae, ductui thoracico viciniore et per valuularum similem intercapedinem patenti, auide ebibendum offerant. Itaque quamuis a morte cesset agere causa quaeuis externa, quae progressum chyli per lactea vasa non tam effecerat in vivo animali, quam potius impulsu quodam in parietes canalis, valuulasue, ad parietes replicandas, facto accelerauerat, nihilo tamen minus in cadauere quoque propter internam hanc vasculorum configurationem, ex integro superstitem, suctio, eiusque opera chyli euanescentia et fuga contingit; atque adeo apparet, tam constanti ipsisque vasis innato motus praesidio tribuendum esse merito praecipuum; externis contra quibuslibet causis, caducis istis et fugitiuis, deberi quidem aliquid, sed longe tamen minus.



Confluunt vasa lactea, ex intestinorum tubo oriunda, inter mesenterii laminas in trunculos sensim maiores, quorum vis fugendi in eadem ratione decresceret, qua lumen capacitasue augetur; at enim vero fartam illam vim incolumemque conseruat vasi concinna ista conniuentium valvularum conspiratio, ipsaque haud infrequens oportunitas insularum, quas trunculi in minores ramulos, mox tamen vicissim vniendos, discerpti faciunt, eandem subinde instaurat. Quod si ab iis vasis lacteis discedas, quae itinere recto ex intestinis et sine diuerticulo cisternam adeunt lumbarem, reliqua cuncta in glandulis mesenterii conglobatis aliis aliisque diuersantur et quemadmodum in limine harum glandularum in ramulos diuiduntur minores, ita quoque sub tecto ipsarum in furculos abeunt numerosissimos subtilissimosque, quibus ipsis sinuoso directionis flexu mirum in modum contortis atque cum arteriolis et venulis rubris; tum externo contextus cellulosi vinculo, tum interna quadam, vt recentiorum anatomicorum obseruationes testantur, ostiolorum communione copulatis, mesaraicae glandulae, veluti multiplicis lacteorum vasorum plexus, natura et fabrica perficitur. Exeunt vero deinceps rursus in trunculos collecta vasa lactea, adducentibus introeuntibusue simillimos, in quibus valvularum adeo longe insuper maiorem notarunt anatomici frequentiam, tandemque lymphaticis vasis vnita, aortam inter diaphragmatisque crus dextrum, constituunt plerumque sat longam largamque ampullam, quae receptaculum chyli cisternaue

sternae dicitur lumbaris, et ex qua postea ductus thoracicus, seu chyli et lymphæ communis vena procedit, mira in diuersis corporibus numeri, diuisionis, insularum et plexuum varietate ludens, donec vltimo in subclauiam venam sinistram recurvatus inferitur.

In omnibus vero his canalibus chylus, non peristaltico parietum motu, sed potius maximam partem vi suctionis promouetur, vtpote quam valuularum coniuuentium frequentia, in vasculis adeo sensim sensimque magis latefcentibus spongiosae texturae praesidium conseruans et trunculorum maiorum insulae ramorumque intra glandulas subtilissima diuisione eo alacriorem vegetioremque reddit, quo certius angustiora vasa capillaria quacuis, ampliora, e quibus continuantur, fiticulosa auiditate ebibunt. Enim vero perinde esse, vtrum valuulosus aliquis maior canalis, an plexus vasculorum subtilissimorum adsit, vel ex eo intelligimus, quod saluo chyli progressu vasa lactea quaedam semper glandulas mesaraicas praeterlabuntur quodque loco cisternae lumbaris non nisi plexuosus vasorum glomer reperitur, qualis etiam aliquando passim thoracici ductus continuitatem cylindricam intercipit. Quae quum ita sint, nullo modo nos patiemur adeo falli, vt, inuita anatome, aut in tunicis lacteorum vasorum omnium, aut in glandulis ad minimum mesenterii fingamus torcular quasi quoddam et calcar musculosum, quod chyli iter expediat; neque etiam e contrario persuadebimur, vt credamus, intra glandulas istas chylum



tot retibus et anastomosibus vasorum quodammodo retardari, sed agnosceremus potius in glandulis istis salutarius naturae consilium, itineris nimirum chyli, per anastomoses multiplicatas expediendi. Quumque insuper compertum habeatur recentiorum inprimis anatomicorum opera, intercedere intra glandulas conglobatas lymphaticis, et proinde quoque intra mesaraicas lacteis cum venis rubris proximam communicationem, adeo ut hydrargyrum, cuius opera glandulae vascula impleta sunt, ligatis egredientibus omnibus et glandula extus modice compressa, adigere possis in ipsas venas sanguiferas, manifesto apparet, sicubi forte obstaculum reperiatur in efferentibus, quos dicunt, lymphaticis chyliiferisque vasis, quod progressui succorum obsit, superesse tamen etiamnum vias quasdam ad sanguinem, viciniorens insuper, sanguiferae nimirum venulae communicantes ramellos.

In motu sanguinis per venas iuuando suctionis non minor efficacia reperitur. Intrat in venas, cordis arteriarumque contractionibus alternis adactus cruor, vbiunque venarum arteriarumque continua quaedam propagatio est. Verum non desunt in corpore nostro exempla, vbi vtriusque vasorum generis intercepta est continuitas. Erant, qui crederent in liene talem fabricam deprehendi, cui tamen opinioni fidem haberi non patitur facilis materiae ceraceae transitus ex arteriis splenicis in venas. Certius longe huius rei exemplum in cauernosis genitalium corporibus occurrit, in quorum quidem cauernulas

uernulas ex arteriis tenuem alioquin succum dimittentibus, quotiescunque neruorum irritatio copiosorem accersit humorum fluxum, ipse sanguis ruber effunditur, quem tamen non sinunt istic retineri venae suctrices, sopitis stimulis, extrauasatum continuo resumentes. Simile quid, quamuis tardius contingat, in contusarum partium suggillatione locum habere videtur, quarum rubor in liuorem flauoremque subinde euanescentem transiens, effusi sanguinis lentiolem resorptionem manifesto declarat. Orbatur sanguis, qui per arterias excurrit, vbique locorum tenuissimis succis, qui in secretiones insuntur. Nanciscitur proinde consistentiam crassiolem, immutato fluidioris seri vehiculo. Aegerrime igitur haud dubie ad cor remearet adeo inspissatus cruor, neque sufficerent, vt videtur, expediendo ipsius refluxui aut cordis ictus, aut arteriae micatio, aut musculorum prelum. Sed bibularum venarum, vndiquaque in corpore hiantium suctione recuperat sanguis copiosum laticem diluentem eiusque admixtione nouo ditatur mobilitatis praesidio.

Ast missis, quae humoribus intra vasa circumagendis adfert suctione, beneficiis, ad ea commoda veniam, quae secretis impertitur; quorum quidem haec praecipua esse puto, quod sine suctione nulla plane fiat secretio, dein quod secreti liquores suctione demum perficiantur et legitimam suam recipiant praestantiam; denique quod suctione nisi omnium, plerorumque tamen progressum ex officina, in qua elaborabantur, ad prom-

tuaria, quibus reconduntur et seruantur, iuuat. Ac primum quidem, quod ad secretionem cuiuslibet succi suctionem concurrere, dicebam, non ita acceptum velim, ac si, quod statuerunt nonnulli, in vasculis organi cuiusque seccernentibus repositum putem spongiosum contextum cellulofum, peculiari quodam, et in singulis colis diuerso latice imbutum, qui, veluti gossypium oleo turgens oleum lubenter admittere, aquam contra pertinaciter respuere solet, ipse quoque similis naturae succum imbibat facillime, dissimilis contra indolis humorem castissime repudiet. Neque enim contextum eiusmodi cellulofum, intra tubulos seccernentes haerentem, anatome confirmauit, qua renuente sumere quicquam audacis est, minusque verecundi; neque, si tamen ponere audeas, humore eodem perpetuo irrigatum ea obseruatio admittit, qua in eodem fetus natiq̄e hominis organo succos parari constat, colore, sapore, odore, consistentia et indole longe diuersissimos. Itaque hanc controuersiam, quae magis in explicanda secretionum diuersitate, quam equidem iam non attingam, versatur, meam non facio, id vnice contendens, a secretionis administratione in vniuersum suctionis efficaciam nunquam abesse.

Pensiteramus modo canalium, qui ex sanguiferis arteriis producantur, et a cruore secedentes liquores seccetos recipiunt, summam tenuitatem, subtilissimas illas angustias vasculorum cutis et pulmonum perspirantium, tubulorum renis vrinifero-

aiferorum, porulorum hepatis biliariorum, ductulorum testis
 seminiferorum aliorumque similibus canalium, fatebimurque
 in his ipsis esse capillarium tubulorum non simulacrum (forte
 quoddam inane, sed vim et naturam integram, artificio tamen
 humano omni ultra quam dici potest longe superiorem. At
 vero horum vasculorum finis alter est in ampliori quadam area,
 in qua quam extillare succum receptum possint, alter vero in vasis
 reperitur sanguiferis, quibuscum continuantur. Siue enim,
 ut nonnulli volunt, ex arteriis rubris tenuiorum vasorum
 systema sibimet inuicem succedentia prodire et ex his demum
 fecernentia vascula eosque canales, quos dixi, generari assu-
 mas, siue cum aliis statuas, propiori origine ex sanguiferis arte-
 riis eosdem exurgere, nullum tamen vel parenchyma, quod
 dicunt, vel glandulare et folliculosum opus continuitatem eo-
 rum cum rubris vasculis interrumpere, facillime laticis tenui-
 oris aquosi hydrargyriue maiusculis arteriis immixti transitus ad
 istos canales euincit. Quemadmodum vero canales isti per
 angustiam suam, capillaris tubuli, humana arte parati angustia
 longe maiorem, perque patulos eos, quos dixi, utrosque fines
 ad sugendum aptissimi reperiuntur, ita quoque non alia ratione,
 quam sugendo, e sanguine succos recipiunt. Ponamus enim
 non succrice horum tubulorum virtute, sed cordis arteriarum-
 que impetu euenire, ut humor, e sanguine separandus, eorum
 angustiam subeat, sequetur omnino, eo largiorem futurum esse
 humoris secreti prouentum, quo cordis et arteriarum impetus
 euasit

euasit fortior. Verum enim vero nunquam sterilior est organorum fecernentium opera, immo vero nunquam euidentius eorum otium, quam in concitatiore sanguinis motu grauiorque febrilis aestus orgasmo, utpote in quo iusto festinantior, quam sani corporis est, sanguinei laticis riuulus ostiola vasorum, quae fecernendas particulas recipere debebant, rapidissime praeteruehitur. Itaque non sufficit ad secretionem, ut sanguinem, ceu fontem succi fecernendi, caloreque vitali fluidum seruatum ad uasa illa usque minora, cruoris globulos nequaquam capientia, sed serum tantum, chyli, mucii, gelatinae, olei, saliumque materie praegnans admittentia, cordis arteriarumque rubrarum viribus admoueat, sed opus quoque est, ut particulis fecernendi humoris per pacatiorem sanguinis motum uenia detur ad ostiola istorum vasculorum adhaerendi, in quorum angustias igitur succus non impetu cordis arteriarumque seuerius inculcatur, sed post adhaesionem succrice tubuli uirtute blandissime imbibitur.

Est uero cuiuslibet succi secreti, qui recens paratus est et protinus excernitur, consistentia admodum tenuis indolesque inertior; illius contra, qui antequam uel excernitur, uel in usus corporis priuatos seruatur, uel in sua ipsius officina, uel in folliculi cuiusdam promtuario haesit, et consistentia reperitur crassior et uirtus efficacior. Limpidissimum serum potius, quam coloratum mucum stillant glandulae folliculosae, ob stimulorum impatientiam praecipitantius suum laticem excutientes.

cutientes. Tenue sperma in testibus est atque adeo in libidinofiorum vesiculis etiam effoetum. Tenuis remissiusque amara in hepate bilis. Quid vero demum largitur istis succis legitimas consistentiae et efficaciae dotes? quid inspissat in glandularum folliculosarum cryptis limpidius serum in mucum istum, beneficum neruorum tutorem? quid intra vias et receptacula spermatis genituram saturatiorem et magis prolificam reddit? quid in folliculo felleo intendit bilis crassitiem et amarorem? Num ista beneficia soli remorae, num motui forte humorum secretorum intestino debentur, cuius opera vel elementa ipsorum omnia propius congregiuntur, vel salina in primis euoluuntur accuratius? Immo vero omnem istam praestantiam et dignitatem secretis liquoribus vnice largitur suction, tum ea, quae per poros membranarum fit et cuius vis in exsudatione tenuissimi cernitur, veluti ex vicinis folliculo felleo membranis bilioso pigmento, inguinibusque et perinaeo spermatis odore imbutis elucescit; tum vero vel maxime ea, quae per ostiola venarum contingit et cui resorptionis nomen datum est.

Duci denique per suctionem humores quosdam secretos ad ea loca, in quibus seruandi vel e quibus excernendi sunt, euidenter primo probat lacryma, quae intra glandulam suam conglomeratam parata et per eiusdem glandulae ductus super oculi bulbum diffusa inque oculi cantho interno collecta, vt ad saccum lacrymale, ex quo in narium cavitatem destillare debet, deferatur, a punctis illis, quae dicunt lacrymalibus,

C

ductu-

ductuum cognominum initiis, imbibitur. Eandem rem confirmat seminis exemplum, quod ubi in glomerulis vasculosis testium subtilissimis interque septa ab albuginea membrana facta latentibus paratum est, a ductulis exiguis in rete coeuntibus ad conos vasculosos, qui epididymidis caput faciunt et in vnum tandem epididymidis ductum, admodum plicatum illum et sinuosum defertur, ex quo deinceps in ductum deferentem emergit, cuius parietes crassi intra membranam duplicatam, substantiam offerunt spongiosam copiosissimam et perexigui tantum tubuli intervallo, in quod sperma excipi debet, inter se inuicem distant. Ex eo denique ductu, cuius interna faeies septulis, inter quae reticularis fabrica occurrit, passim diuisa reperitur, proripit semet sperma, quod per collapsa ductuum ejaculatoriorum ostiola, in papilloso veru montani aggere, extra venerem flaccido, exire prohibetur, in vesiculae feminalis multiloculare et geminatum cauum, cuius interni parietes ibidem reticulati plicatique reperiuntur. Enimvero anfractuosis-
simis istis angustissimisque viis permeandis viscidulus spermatis succus prorsus impar foret, nisi ipsa viarum angustia et fabrica celluloso reticulata suctionis instrumentum, adiumentumque itineris ductio euaderet. Neque enim impulsus sanguinis a tergo vrgentis ad promouendum sperma efficax esse potest, cuius vis omnis frangi videtur tot serpentinis vasorum fecernentium efferentiumque gyris; neque oscillatio arteriarum vicinarum videtur concutere canaliculorum horum crassulos parietes
ita,

ita, ut ipse in iis contentus liquor agitetur: neque in ipsis illorum parietibus intextae fabricae musculosae vestigia occurrunt, neque vel cremasteris labor vel darti rigor tam perpetuus est, quam spermatis secretio et progressio. Itaque quum in his omnibus causis, quas huius liquoris iter iuuare posse credideris, reperiatur aut vis plane nulla aut efficacia minus assidua, suctionis maxime beneficio sperma ad suas vesiculas duci, in propatulo est. Nascitur ex epididymide vasculum lymphaticum quoddam, nascuntur adeo lymphatica plura ad rete vasculorum testis seminiferorum. Immo praeter totius corporis analogiam, in cuius partium superficieculis cunctis bibulae venae aperiuntur, tum spermatis, quantumvis perpetuo secreti neque proiecti tamen copia, castrorum virorum vesiculis testibusque rarissime mole sua molesta, tum vero vel maxime carniū animalis non exseci robor factorque, in carnibus castrati animalis nequaquam occurrens, euidenter ostendunt, a bibulis venis, in feminis vias hiantibus, perpetuo quicquam secreti spermatis ad sanguinem omneque reliquum corpus reduci. At enim vero haec ipsa ostiolorum resorbentium frequentia haud dubie expedit eximia ratione spermatici liquoris per suas vias progressionem, quandoquidem non modo viarum harum plenitudinem imminuit, sed etiam adhaesionem liquoris admotionemque ad vicinos parietes attractione sua necessario reddit faciliorem. Quumque, sicuti in egregio libello qui inscribitur: *Noua experimenta et obseruationes de finibus venarum ac vasorum lymphaticorum*



in ductus visceraque excretoria corporis humani eiusdemque structurae vtilitate; Berolini MDCCLXXII.] praeclare docuit confirmavitque Iohannes Fridericus Meckel, simillima ratione venae vasaque lymphatica resorbentia pateant in mammarum lactiferis, inque vriniferis et biliferis viis, similia etiam commoda ab ipsis ad lactis, lotii bilisque progressionem redundatura esse, quis, quaeso dubitauerit?

Supereſt, vt etiam de ſuctionis beneficiis in nutritionem partiumque corporis ſolidarum conſeruationem quaeram, quae vtiſſime ſunt longe maxima. Itaque primo cauet ſuctio, ne nutriendi corporis materies profuſius diſſipetur, vindicatque ſibi per eadem illa vaſa reſorbentia, quae cum omnibus ductibus excretoriis organisque ſecernentibus communicare perhibui, lymphaticas particulas nutritiasque, quae cuilibet ſucco, recens parato, ſat largiter immiſtae ſunt, ſique excretio eiusdem iuſto citius iuſtoque copioſius peragatur, cum inſigni virium diſpendio totiuſque corporis notabili contabeſcentia excernuntur. Porro, quum omnium corporis partium compages cellulosa eſſe reperiatur, inque cellulas iſtas exiguas ab arterioliſ perpetuo deponatur lymphaticus ſuccus, qui, quoniam alias per vaſa meare haudquaquam potuiſſet, copioſo adhuc ſero commixtus et dilutus eſt, accideret omnino, vt partes corporis intra cellulas ſuas tantam ſenſim humorum vim recipientes, vel maceratu relaxarentur vel diſtentu rumperentur, niſi bibularum, quae praefo ſunt, venarum oſtiola ſuperfluum imbiberent; vt
 adeo-

adeoque appareat suctionem robur et integritatem partium corporis egregie tueri. Imbibunt autem venulae istae tenuissimum laticem, qui tanquam volatilior caloris vitalis opera a fixiori et coagulabili lymphæ facillime separatur; quo ipso euenit, vt residua lymphæ magis densa evadat et ad nutritionem ipsam eo melius possit adhiberi. Vbi denique frictu itaque et reditu frequenti partium solidarum, tum proprio motu tum alieno exagitarum, fibræ detritum quicquam et abrasum est, adest in loco, vnde secessit molecula solida, interstitium et quasi insolitus porus, qui sicuti angustissimus est et a lymphæ, iuxta atque reliqua tota fibra, alluitur, eius ipsius lymphæ particulam sibi congruam affugit, quæ, sensim sensimque stabilius domicilium nacta, firmiter accrescit et fibræ prorsus refareit. Quumque in iunioribus corporibus fibrarum mollities frequentiora talia interstitia, extensione facta admittat, præstoque sit abundantissima nutritii succi copia, non mirum est quolibet interstitio particulam lymphæ coagulabilis fugente, et singularum fibrarum et totius corporis lætissima fieri incrementa.

Atque huius in corporis nutritione tam sedulae suctionis in compluribus quoque aliis corporis tum sani functionibus tum morbose mutationibus eximie efficacia documenta conferri plura liceret, nisi mens et oratio festinaret ad maiora dicenda. Quum enim per indulgentissimam FRIDERICI AVGVSTI, SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE PATRIS PATRIAE DILECTISSIMI munificentiam,

AMICO.




AMICORVMQVE IPSIVS SAPIENTISSIMORVM et BENIGNIS-
 SIMORVM honorificentissimum de me iudicium contigerit mihi,
 vt ex Vniuersitate litteraria Lipsiensi patria, in qua medicinam
 adhuc extra ordinem profitebar, ad academiam Vitebergensem
 euocarer atque professoris anatomiae et botanices ordinarii
 munere ornarer, huius quidem muneris mei auspicia, pro-
 ximo die Iouis digna capturi animum neque grauior vlla
 iucundiorque cura neque ardentius aliud desiderium tenet,
 quam, vt quo me sensu affecerit, quae pietatis studia in me
 accenderit tam insignis beneficii gratia, tamque manifestum fa-
 uoris perpetuo suspiciendi documentum, dignissima ratione
 eloquar. Faciam vero hoc pro viribus, ex more maiorum pu-
 blica oratione, qua equidem simul breuiter sum commemora-
 turus, *quantum pulchrior Medicinae hodiernae facies Vitebergensium*
doctorum operae debeat. Cui quidem orationi, vt benigne in-
 teresse velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, VTRIVSQVE
 REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, GENEROSISSIMI-
 QVE ET NOBILISSIMI COMMILITONES, omni, qua par est,
 humanitate et obseruantia contendo. P. P. Dom. VIII. Trinit.
 A. O. R. CIOCCCLXXXII.

EMENDANDA

p. XVII. lin. 10. Systema l. *Systemata.*

p. XVIII. lin. 12. viribus admoveatur l. *vires admoveant.*



Ua 4782

ULB Halle


3

004 335 678



f
Sb.







DE
VI SV CTIONIS
IN CORPORE HVMANO
COMMENTATIO

PRAEMISSA

ORATIONI SOLEMNI
QVA RECITANDA
PROFESSORIS ANATOMIAE ET BOTANICES

ORDINARIII

M V N V S

D. XXV. M. IVLII A. CIOIOCCCLXXXII.

AVSPICABITVR

IOANNES GOTTFRIED LEONHARDI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR ANATOMIAE ET
BOTANICES PROFESSOR ORDIN. DESIGNATVS SOCIETAT.

OECON. ELECT. SAX. SODALIS.

1902: BHL 522

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

